



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 31. Insolita hujus Regis pietas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

bruarii inauguratus est: altera autem die nuptias celebrabat cum Aloysia Lotharingia Nicolai Lotharingii Mercuriani Ducis Valdemontii Comitis, & Margaritæ Egmontiæ primæ suæ conjugis Filia natu majori, cui Rex feria tertia die decima quinta ejusdem Mensis Februarii in Ecclesia Rhemensi sacro ritu copulata est.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1575.

*servir a l'hist.  
de France  
t. I. pag. 51.*

§. XXXI.

*Insolita hujus Regis pietas.*

Die vigesima Februarii Rex cum nova hac Regina ex præfata urbe discedens ad sancti Maclovii oppidum pervenit, ubi unacum suo Eleemosynario novemdialem devotionem instituebat, quippe totum vitæ suæ tempus inter externa pietatis exercitia, & delicias partiebatur, ferme nunquam Regni sui negotiis intentus: eadem igitur ratione currentem hunc annum impendebat, ac ipse solemnes publicationes dirigens sacras reliquias in regio Sacello asservatas circumferri jussit, manique sua grande rosarium tenens cunctos Aulicos unacum omnibus urbis Sodalitatibus interesse voluit, in Ecclesiis vero exigua oratoria construi præcepit, ad quæ ipsemet nullo ferme vestium ornatu conspicuus singulis diebus accesserat, ibidemque preces suas

*Journal de  
Henrici III.  
anno 1720.  
tom. I. p. 7.  
II. & 15.*



Saecul. XVI. fundens eleemosynas elargiebatur: cum  
A. C. 1575. autem vera Christi Crux, quæ in Ec-  
 clesia *Sacrum Sacellum* dicta asservaba-  
 tur, die decima Maji noctu furto fuis-  
 set ablata, Rex in omnibus Parisinæ  
 urbis Parochiis e suggestu promulgari jus-  
 sit, quod ipse crucem ablatæ haud ab-  
 similem confici curarit, eidemque in-  
 gens ex vera Salvatoris nostri Cruce  
 frustum inferi curarit, ut populus pro  
 more suo pietatis obsequia eidem de-  
 ferre valeret. Ceterum observandum  
 venit, quod Regina Mater sacrilegæ  
 hujus rapinæ conscia crederetur, per-  
 inde ac si hæc reliquias in Italiam pro-  
 ingenti pecuniarum summa, quam mu-  
 tuo accipere parabat, pignoris loco  
 mittere voluisset. Rex anni facri  
 per Gregorium XIII. promulgati  
 tempore per Parisiensis Urbis plateas  
 non nisi duobus, vel tribus Aulicis sti-  
 patus pedes incedebat, ac prægrande  
 rosarium manu tenens quasdam reci-  
 tabat orationes, ad ejusmodi pietatis  
 exercitia a sua Matre admonitus, eo  
 fine, ut populus ipsum piis operibus  
 oppido addictum putaret: verum hac  
 ipsa agendi ratione eo magis a suis Au-  
 licis, subditis, universaque Europa vi-  
 lipendebatur, quo imprudentius existi-  
 mabat, quod sub hoc pietatis obtentu  
 sese voluptatibus impune mancipare,

ac



ac potissimam noctis partem pilæ ludo, ac conviviiis absumere, vitamque inter pænitentia, & libidinis exercitia inepta prorsus vicissitudine transigere posset.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1575.

§. XXXII.

*Protestantium, & Politicorum Deputati ad Aulam delati.*

Vix Aula Parisios fuerat delata, cum illico ex Protestantium, & Politicorum factione novem adventarent Deputati, quibus Rex cum Condæo Principe Basileæ circa pacis negotium conferendi veniam dederat: hi igitur die vigesima Martii Basilea profecti, præfatique Principis mandatis instructi die sexta Aprilis ad Aulam pervenerant, quibus suam operam Tribuum Helveticarum, nec non Angliæ Reginae Oratores jungebant, ut una omnes Regem eo inducerent, quatenus illos benigne exciperet, ac Protestantium propositiones, quas ipsi ad propriam suam securitatem necessarias censebant, admittere vellet.

Thi. l. 60.  
Avila hist.  
des guerres  
civil.

§. XXXIII.

*Horum postulata, ac colloquium cum Rege.*

Quarto post adventum die hi Deputati a Rege coram Regina Matre, Navarrae

Avila &  
Tim. l. 6.

S 5

varræ